



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Regularibus. Consilium CCCCLXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

quo plenissime idem factum fore probabitur; sic ut nulla ratione possit testimonium Rei tamquam verum, & Reipublicæ expediens in detegendo delicto, ad injuriarum actionem referri, *l. Eum qui nocentem de iniur.*

De Regularibus.

SYMMARIUM.

Monachus obedientiaris degens extra Monasterium an suo Prelato, an ordinario subdit

1. §. 14. Intellectus c. 1. De capell. Monach. lib. 6.
2. Intellectus Sess. 7. Conc. Trid. De reformat. c. 7.
3. Obedientia à Monacho separari non potest.
4. 13. Monachus quando censetur emancipatus.
6. Tacens non semper consentit.
7. 9. Monachus semper revocari potest ad suum Monasterium.
8. Perpetuum quid dicatur.
10. Monachus ab Episcopo provisorius & institutus in beneficio ad suum monasterium revocari potest.
11. Perpetuum interdum finem accipere.
12. Monachus à suo Prelato male tractatus apud quem conqueri possit.
15. Privilegium non usu non amittitur.

CONSILIUM CCCCLXV.

Est positum supra conf. lxxv. ideoque hic omittitur, sed ejusdem Additio five alterum Consilium ejusdem materiz loco illius inferitur.

Vis & perspectis his, quæ per Venerabilem Dominum Officiale Reverendissimi D. Episcopi Namurcensis congesta sunt, ad demonstrationem, quod idem Reverendissimus Dom. intercedendo impedire possit, quò minus Reverendus Dominus Abbas Religiosum suum per eum ad Ecclesiam Parochialem loci de Corfelles, suæ Abbatiæ unitam & incorporatam, præsentatum, & per Reverendissimum Episcopum Namurcensem in illa quoad curam animarum institutum, ad suum Monasterium ex legitima causa ipsi Domino Abbati secundum Ordinis Præmonstratensis regulas & statuta comprobata revocare possit: deprehendimus nihil ferè in ijs esse, quod non sit sufficienter discussum & resolutum per præcedentem nostram consultationem ab hinc paucis diebus præfato Reverendo Domino Abbati redditam, per impugnationem literarum arrestatorialium, monitorialium, & inhibitorialium auctoritate prædicti Reverendissimi Episcopi, adversus dictum Reverendum Dominum Abbatem decretarum, & executioni mandatarum; si singula singulis, ut ex adverso obijciuntur, conferantur & accommodentur, Nihilominus ut adhuc expeditius percipi possit, quàm non rectè idem Reverendissimus Episcopus prætendat, præfato Domino Abbati non esse jus revocandi ad suum Monasterium dictum suum Religiosum, ad singula, quæ pro asserendâ hac Reverendissimi Episcopi intentione in medium adducuntur, eo ordine, quò proponuntur, paucis velut per indicem tantum respondebimus; fixius adherendo & inhærendo his, quæ in prædicta nostra consultatione latius operosiusque in me-

dium adduximus,

Et in primis quidem, quod pro principali fundamento intentionis Reverendissimi Domini Episcopi adducitur ex Bonifaciana constitutione, *in c. 1. de capell. monach. lib. 6.* jam antea sat multis rationibus & auctoritatibus comprobavimus id non obtinere, nisi in presbyteris secularibus, *Joan. de Imola in Clem. 1. de supplen. neglig. prelat. vel saltem non in Monacho, qui de proprio Monasterio ex præsentatione sui Abbatis per Episcopum instituitur in Ecclesia, quæ est de mensa Abbatis seu Monasterij: quia per hujusmodi præsentationem & institutionem, talis Religiosus non definit sui Abbatis esse obedientiaris; & sic non tam transfertur, quàm velut instrumentum sui Monasterij, in incorporata & unita Ecclesia, seu per eam retinetur, tanor. in c. 2. & in c. Quod dicitur timorem nu. 9. de statu monach. Quod latius demonstratum in priore nostro responso breviter studio non repetimus.*

Concilij Tridentini auctoritas, quæ secundo loco profertur, *ex cap. 7. de reformat. sess. 7.* non tam astruit, quàm destruit, quod pro parte Reverendissimi Episcopi in hac re asseritur. Etenim per illud caput Ordinario permittatur hoc efficere, ut per idoneos etiam perpetuos Vicarios provideatur curatis beneficiis ecclesiasticis: hoc tamen quoque illi non adjungitur, ut non liceat Abbati & Prelatis regularibus, qui suos proprios Religiosos ad proprias suas Ecclesias præsentant, & per Episcopum institui procurant, eosdem ad suum Monasterium, cum res postulat, & Abbati rationabiliter iustum videtur, quando eumque revocare, etiam sine Episcopi consensu. Nam & iuris communis dispositio postulat, ut Vicarij perpetui incorporatis Ecclesijs præficiantur ab his, quorum incorporatio est, *d. c. 1. de capell. monach. lib. 6.* sed per hoc non præripit proprio Abbati revocationis potestatem; quæ obedientiæ Monachi, quamdiu manet intra septa vel Monasterij sui, vel Ecclesiæ Monasterio suo incorporatarum, sic conjuncta est & coheret, ut ab illa separari non possit, *Freder. de Seni conf. 134. Casus talis, Zabarella in Clem. 1. de supplen. neglig. prelat. per tot. textum.* Et cum dictum Conciliare caput non necessitati Ordinarij sed ejus potestati & arbitrio permittat, an velit Ecclesijs sic incorporatis providere per Vicarios perpetuos, permittit potestatem etiam id non faciendi, *l. Sæpe audiui de offi. præsidu.* consequens est in dubio id non censi factum, quamdiu non constat per Episcopum id factum esse. Atque ita in proposito, cum nihil proponatur per præfatum Reverendissimum Episcopum factum esse peculiariter de aliqua perpetuitate Vicariatus in hac parochiali Ecclesia de Corfelles, censi debet res relicta in priore & antiquo suo statu, *l. præcipimus c. de testam. & in terminis juris communis, c. Susceptum de re stip. lib. 6.* qui hoc postulant, quod Religiosi pro Vicariis proprijs sui Monasterij Ecclesijs præfecti, ut manent obedientiarj, ita quoque maneant ad regulatam saltem sui Abbatis seu Prelati voluntatem non tam amovibiles, quàm ad suum Monasterium velut ad propriam suam stationem revocabiles, *d. Clem. 1. de supplen. neglig. prelat.*

Ex statutis seu decretis Synodi provincialis Cameracen-

meraceas, quod tertio loco adducitur, ut præfatus Dominus Officialis confitetur id conforme esse dispositioni dictæ Bonifacianæ constitutionis, in d. c. 1. De capell. Monach. ita quoque accipiendum est ex illius sententia, ut admittere debeat restrictiones & limitationes, quibus eadem constitutio juris communis obnoxia est; hoc est ut perpetuitas quidem sine facultate amotionis constituatur in his Vicariis Monachis, qui Vicarii constituti ab obedientia sui Monasterij emancipantur, & inde transferuntur. Ut est cum præficiuntur Ecclesijs suo Monasterio non incorporatis; non etiam cum à suis Prælati præficiuntur Ecclesijs, quæ sunt de mensa & corpore sui proprii Monasterij, in quibus constituti manent etiam in corpore & obedientia ejusdem sui Monasterij, ut jam dictum, & in dicto priore responso latius deductum est. Et si aliquo alio sensu dicti statuti verba accipi possent, quasi derogantia statutis & privilegijs Ordinis Præmonstratensis, iuxta moderationem ad illam reducenda & temperanda essent, ne plus tribuatur inferiori auctoritati, quam supremi Pontificis privilegio, Clement. Ne Romani de elect. * Cum alioqui correctio facile nec præsumatur, nec admittatur, l. si vero §. de viro soluto maxime. §. cum igitur vers. nec est Authent. De non eleg. secund. nub. Gloss. magna in fine in c. De multa de præben. & juri communi hac in parte non repugnans privilegium, potius ac potentius censeri debeat; cum per dictam Bonifacianam constitutionem statuta tantum & consuetudines illi contrariantes removeantur, non etiam contraria privilegia. Ut & Glossam & Doctores, in d. c. 1. nominatim asserere diximus de privilegijs Ordinis Præmonstratensis.

Nec in consideratione huius haberi debet præsentia prædecessoris dicti Reverendi Domini Abbatis in dicta Synodo provinciali; tum quod dicti decreti seu statuti intellectus talis non sit, qualem Reverendissimus Dominus Episcopus illi attribuit; sed qualem jus postulat: præsertim nullis clausulis derogatorijs privilegiorum dicti Ordinis adiectis. Ita quod ex sententia & opinione Domini Abbatis nolentis præjudicare privilegijs sui Ordinis, hæc dicti decreti verba accipienda sint, quamdiu id sine verborum & rei violenta conturbatione fieri potest; potius quam videatur sibi, suo Monasterio, totique suo Ordini, & illius privilegijs derogasse per subauditos intellectus, Gloss. in verb. petere in c. cupientes De elect. lib. 6. aut illis in dubio renuntiare voluisse, l. cum de indebito De probat. c. Super hoc De renuntiat. præsertim ubi enuntiandi vel nulla vel omnino difficilis fuit potestas, ut fuit in privilegijs non soli Monasterio Bonæ Spei, sed toti Ordini Præmonstratensi concessis. Et si in hac dicti prædecessoris præsentia effectus aliquis approbationis & renuntiationis constitui posset; illa concludi deberet in illius persona, & minimè extendi ad illius successores, ne factum Prælati redundet in damnum Ecclesiæ, c. Cum olim De privileg. * Ita ut in proposito nihil argui possit ex eo, quod prædecessor dicatur non reclamasse dicto synodali statuto; cum in vero ejusdem statuti sensu & intellectu, reclamandi non fuerit occasio, & in alijs illius interpretatione, ex omnia reclamatione seu taciturnitate Conf. Wamelf. Tom. 11.

non possit concludenter argui aut inferri tacitus consensus, l. Qui tacet De reg. iur. in his præsertim, quæ vel illicita sunt, vel quis expresse non præsumitur admittens, & potissimum ubi agitur de alterius, quam tacentis præjudicio; ut est in proposito casu, l. 1. De auctor. tutor. D. in c. Qui tacet De reg. lib. 6.

Quod quarto loco non impertinens esse proponitur ex Concilio Tridentino, & Sess. 6. c. 3. de reformat. nihil commune habet cum hac re, de qua nunc agitur, ut vel maxime permittitur sit Episcopo non ordinari, sed Apostolicæ auctoritate visitare, punire, & corrigere Religiosum extra suum Monasterium degentem. Nam ut id verum sit, inde non sequitur aut inferri potest, quod Religiosus ad suum Monasterium revocari non possit, quia hæc separata sunt, nec connexionem habent, l. si maritus c. de donat. inter vir. & uxor. Imo etiam si Episcopo permittitur sit visitatio, correctio, & punizio in Religiosum, extra suum monasterium degentem, id tamen non eripit neque admittit Prælati ejusdem faciendi potestatem: cum nihil veter, quin ea in re Episcopum prævenire possit, c. ad nostram De statu monachor. c. reprehensibilis De appellat. Latissime Card. Zabarella consil. 5. Ita quod per dictum tertium caput accumulativè Episcopo adiciatur ista potestas, non privativè respectu proprii Abbatis seu Prælati; cui per dictum Conciliare decretum non est adempta superioritas & jurisdictio in suum Monachum, quamdiu manet & habetur ejus obedientiarius, c. Quanto & ibi Panor. qui etiam in c. Pastoralis nu. 6. De offic. ordin. l. ult. De iurisdic. omnium iudic.

Quod deinde operosius quam accommodatius de perpetuitate beneficiorum parochialium assumitur, nihil in proposito mutare potest: nam perpetuitati non repugnat revocabilitas proprii Monachi beneficiati: ita enim & eoque perpetuus in beneficio habetur, quam diu à suo Abbate non revocatur; ut mercenarij loco non sit, propter destinationem perpetuitatis, sed qui stat sub conditione hac, si ex obedientia à suo Abbate non revocetur; cum de jure revocari possit, d. Clem. 1. De supple. negl. prælat. Perpetuum enim pro re subiecta variè accipitur, & in hoc articulo perpetuus censetur, qui sine præfinitione aliqujus temporis in beneficio instituitur; quique in potentia eo loco est, ut quamdiu vixerit, possit esse beneficii rector, Bald. in l. Ex facto sub finem De hered. instit. Decim consil. 472. Testator legavit nu. 21. Atque ita perpetuitatis mentionem in dicta Bonifaciana constitutione interpretatur Glossa, in verb. perpetuus in cap. ult. De rescript. lib. 6. & ibi Geminian. Sufficit itaque quod destinatione sit perpetuus, manere possit, quamdiu inde non revocatur à suo Prælati; & quod hæc perpetuitas stet sub conditione, quamdiu Abbas secundum regulas Ordinis eum non revocat.

Vnde etiam est, quod perpetuitati non obstat, nec illam vitiet potestas Episcopi: quod illum destituere, & à beneficio amovere possit, meritis exigentibus, d. c. 1. De capell. Monachor. * Nihilque necessariò concludit quod dicitur illius esse destituere, cujus est instituere; institutione autem ad

